



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Honos habitus ei à Friburgensibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

nunquam intermitteret preces vt è labiorū motu intelligebatur, in effigiem Deiparæ fixo obtutu: paulòq; post sanctissimam Crucem sæpius religiosissime exosculatus, eamq; altera manu, altera cereum sacrum fulgentem sustinens inter litanias, quasi placidè obdormiscens, absq; vlla doloris, migrationisq; significatione sanctam animā magno cum spectantium mœrore, multisq; lacrymis, procreatori suo reddidit hora post meridiem tertia cum dodrante, Apostolo Thomæ sacro die vesperascente. Quo die ante septendecim annos Collegij eius possessionem inierat. Beatæ illi migrationi præsentis interfuere Præpositus Sebastianus Veronius, Patres duo Capuccini, duoq; senatores, præter domesticos omnes, qui flexis genibus circumfusi perseverabāt in precibus. Post horæ spatium visa demortui facies formosior, quàm spirantis: & in manus quoque viuus quidam, ac roseus color diffusus.

*Formosior mortui species.*

Re per Ciuitatem vulgata incredibilis omnes Ordines dolor incessit: quod si instans amantissimi Patris excessus enotuisset, ægre communis populi concursus prohiberi potuisset. Consilio habito senatus vterq; sacer, ac laicus, quo tantum

*Honos habitus et à Frisburgo genibus.*

Dd 3

thesau-

thesaurum loco pro dignitate condi oporteret, in templo Ciuitatis principe, quod sancti Nicolai nomine dedicatum est, condendum decreuerunt ante maximam Aram. Postero igitur die antequam eo inferretur, in domesticam ædiculam delato Patres iusta funebria peragunt. Positum erat in medio feretrum opertum, & ciuium multitudo maior, quã pro loci angustiis, plena mœrore confluxerat. At vbi primũ remoto velo conspecta est illa Apostoli viri augusta facies (& retinebat adhuc vegetam quandam maiestatem) tũ gemitus, & lamenta, tum lacrymæ insonuerunt certantium rosariis sacrum pignus contingere, turba perstrepere, & constipari. Quæ cum videret Præpositus Veronius differendam omnino sepulturam censebat aliquot dies, & sacrum interim pignus expositum relinquendũ in summo templo, vt pietati populi tangendo, & osculando, & aliter honorando fieret satis: verum id teneri ex Collegij Rectore non potuit. Probabilem causam religiosæ adeo, iustæq; petitionis repulsæ nullam inuenio, nisi quod suspicari venit in mentem, modestiam fuisse quandam fortasse immodicam, per quam priores nostri Ordinis homi-

homines, quantum enitebantur ipsi vt sancti essent, tantum in se, suisq; seu viuis, seu mortuis famam sanctitatis, & honores refugiebant. Sub horam à meridie tertiam Clero præeunte vniuerso, totaq; fere Ciuitate prosequente, personantibus mæsto tinnitu cunctis campanis funus ad diui Nicolai deducitur. Ibi post psalmorum vespertinorum carmē, Sebastianus ipse Veronius in suggestum progressus luculentam magni Patris laudationem instituit. Inter cetera magnifice prædicauit tam longinquam tãti viri commorationē eo loci: etiam commoda exequens, quæ Ciuitati magna, & multa peperisset præsentia, operaque sua. Secundum orationem funebria de more alia peracta, populo ita perseuerante, vt ne tum quidem, cum exequiis persolutis iam cæcæ tenebræ ingruissent, à venerando pignore auelli possent. Tres amplius horas propositum honoratium religioni patuit: nec expleri poterant amabilissimū os tuendo, osculando, fertis precatoriis contingendo: aiebāt etiam odorem suauissimum afflari longe alterum ab incenso thure: quod magni etiam obseruarunt viri complures. Multi digitorum vngues, & capillos præcidere: multi ad Col-

legium iuere supplices postulatum aliquid earū rerum, quamuis abiectissimarum, quæ viuenti Patri fuissent vsui, magnaq; cum lætitia, & gratiarum actione, si potirētur, recedebant; pariq; dein religione pro sacris pignoribus asseruarunt. Canonici honorem exequiarum septimo, ac trigesimo die quàm honorificentissima Cæremonia instaurarunt. Corpori ad primum gradum summi Altaris medio spatio in querna arca sito superpositum est candidum marmor quatuor Germanorum fratrum communi pietate, ita inscriptum.

Monumentum  
Venerandi Patris  
Nostri  
Petri Canisij  
Societatis Jesu  
Theologi

NN. Nic. Roch. Georg. Pet. Frat.  
A Diesbach poss. M. D. XC. VII.

Ad

Ad latus autem vir illustris, postea Friburgensium Prætor Joannes VVildius conspicuo in columna exornato loco ad legendi opportunitatem, hunc titulum à Veronio conditum posuit.

D O M.



Venerandus in Christo Pater Petrus Canisius Theologus Nouiomagi natus. Societatem Jesu tertio à Confirmatione illius anno ingressus ac sacerdotio insignitus. Ob magni simul & placidi animi præstantiam à Coloniensi Ecclesia ad Carolū V. Imperatorē. Ab Othone Cardinali Augustano ad S. Cōcilium Tridentinum. A Carolo V. Imperatore Vormatiam cōtra Melāchtho-

*Monumentum  
est positum.*